

290 iam nunc times, quasi numquam adfueris, numquam tute  
pepereris?

*SO.* miseram me, neminem habeo (solae sumu'; Geta  
autem hic non adest)

nec quem ad obstetricem mittam, nec qui accersat Aeschinum. 5

*CA.* pol is quidem iam hic aderit; nam numquam  
unum intermittit diem

quin semper veniat. *SO.* solu' meârum miseriarumst  
remedium.

295 *CA.* e re nata meliu' fieri haud potuit quam factumst, era,  
quando vitium oblatumst, quod ad illum attinet potissimum,  
talem, tali genere atque animo, natum ex tanta familia. 10

*SO.* ita pol est ut dici': salvo' nobis deos quaeso ut siet.

GETA SOSTRATA CANTHARA ii

*GE.* Nunc illud est quom, si omnia omnes sua consilia con-  
ferant

300 atque huic malo salutem quaerant, auxili nil adferant,  
quod mihi que erae que filiae que erilist. vae misero mihi!  
tot res repente circumvallant se unde emergi non potest:

vis egestas iniustitia solitudo infamia. 5

hoccin saeculum! o scelera, o genera sacrilega, o homi-  
nem inpium!

305 *SO.* me miseram, quidnam est quod sic video timidum et  
properantem Getam?

*GE.* quem neque fides neque iusiurandum neque illum  
misericordia

repressit neque reflexit neque quod partus instabat prope